

non latè auriculatis sed decurrentibus, spinis appendicum inæqualibus nec subæqualibus, flosculis pallidioribus neutris minùs longè radiantibus, etc.

CICHORACEÆ

CICHORIUM GLANDULOSUM Boiss. et Huet.

C. annuum caule erecto subangulato-striato infernè albo nitido glabro supernè plus minùsve dichotomè ramoso pilis patulis tenuissimis apice glandulosis ut et rami pedunculique obsito, foliis radicalibus.... caulinis e basi sessili obtusè subauriculatâ oblongo-lanceolatis acutis denticulis acutis apice subspinulosis obsitis pallidè virentibus utrinque pilis albis papillaribus scabridis, floralibus ad pedunculorum capitulorumque basin oblongo-lanceolatis acutis rigidis, pedunculis a basi sursùm incrassatis longitudine variis, capitulis 10-12 floris aliis ad apicem pedunculorum solitariis aliis in dichotomiis et ad ramorum partem superiorem sessilibus, involucri pilis glandulosis obsiti squamis basi induratis externis subbrevioribus oblongis acutis apice spinescentibus, internis biserialibus basi glabratis lanceolatis apice subincurvo obtusis serie interiori angustiori, receptaculo medium versùs squamuloso, acheniis rufescentibus nigro-maculatis angulatis tenuissimè sub lente rugulosis externis subcompressis coronâ roseâ eis sextuplò breviori paleis subbiserialibus lineari-spathulatis rigidis inter se contiguis constanti superatis.

Hab. in ruderatis circa *Erzeroum* cl. Huet du Pavillon, circâ *Diarbekir* Mesopotamiæ Kotschy 1843 N° 138.

Species habitu *C. divaricatum* Schousb. et ejus formas *C. pumilum* et *C. minimum* referens. Omnes a nostrâ specie differunt indumenti glandulosi defectu, involucri squamis interioribus exteriores triplò superantibus longè lineari-attenuatis. *C. intybus* radice perenni aliisque notis longiùs differt.

LEONTODON PAVONII Boiss. (Sect. *Apargia*.)

L. perenne radice simplici verticali elongatâ nigrâ, foliis omnibus radicalibus rosulatis lineari-lanceolatis irregulariter pinna-

tilobatis attenuato-acuminatis basi sensim in petiolum basi rursus dilatatum membranaceum attenuatis lobis inferioribus triangularibus brevibus supremis utrinque 2-3 angustè linearibus acutis, pilis subtus ad costam mediam et supernè sparsis simplicibus elongatis albis sæpè ex eodem puncto pluribus, caule ascendenti simplici vel paulò suprâ basin ramulo aucto glabro parte inferiori 2-3 foliis linearibus obsito, capitulo mediocri, involucri phyllis imbricatis lanceolatis obtusis nigricantibus latè albo-marginatis exterioribus subpatulis dorso pilis nonnullis simplicibus hirtis cæteris glabris, acheniis.... pappi sordidè albi setis omnibus æqualibus a basi plumosis.

Hab. propè *Salamanca* Hispaniæ in colle *Altos de la Moral* dictis. Floret Septembri (herb. Pavon.)

Stirps memorabilis cujus infausto casu specimen unicum possideo. Radix crassitie pennæ anserinæ ut videtur longa parte superiori saltem fibrillis destituta. Folia 2-2½ pollices longa angusta laciniis irregularibus sæpè tres lineas longis lineam basi latis. Scapus 8 pollicaris. Capitulum illo *L. hastilis* paulò majus. Radice verticali ab omni sectione *Dens leonis* Roch. abhorret et invito habitu in sectione *Asterothrix* propè *L. Hispanicum* Mér. militare debet.

LEONTODON GRÆCUM B. et H. var. *Heldreichianum*.

Indumentum densius magis griseum pilis omnibus elongatis apice 3-5 furcatis constans nec elongatis stellatisque sessilibus intermixtum. Involucri squamæ sublaxiores dorso pilis simplicibus nec lepidotis stellatis hirsutæ.

L. Heldreichianus Boiss. Mss.

Hab. in regione mediâ et superiori *Olympi Thessali* (Heldr. †), in regione alpinâ montis *Olenos* Peloponnesi (Heldr.), in rupibus regionis alpinæ *Parnassi* (cl. Heldr.)

Forma intermedia inter formam typicam in rupestribus regionis calidæ occurrentem et var. *alpinam* omnibus partibus minorem. Transitus manifesti inter omnes varietates occurrunt.

Obs. Numerosa series speciminum a cl. Th. Kotschy ex monte Tauro missorum me docuit *L. divaricatum* Boiss. Diagn. *L. oxy-lepidi* ut formam pilis longioribus crebrioribus donatam et etiam *L. Libanoticum* eidem speciei adnumeranda esse.